Epistula beati Pauli apostoli ad Thessalonicenses secunda

1

1:1 Paulus et Silvanus et Timotheus ecclesiae Thessalonicensium in Deo Patre nostro et Domino Iesu Christo

1:2 gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Iesu Christo

1:3 gratias agere debemus Deo semper pro vobis fratres ita ut dignum est quoniam supercrescit fides vestra et abundat caritas uniuscuiusque omnium vestrum in invicem

1:4 ita ut et nos ipsi in vobis gloriemur in ecclesiis Dei pro patientia vestra et fide in omnibus persecutionibus vestris et tribulationibus quas sustinetis

1:5 in exemplum iusti iudicii Dei ut digni habeamini regno Dei pro quo et patimini

1:6 si tamen iustum est apud Deum retribuere tribulationem his qui vos tribulant

1:7 et vobis qui tribulamini requiem nobiscum in revelatione Domini Iesu de caelo cum angelis virtutis eius

1:8 in flamma ignis dantis vindictam his qui non noverunt Deum et qui non oboediunt evangelio Domini nostri Iesu

1:9 qui poenas dabunt in interitu aeternas a facie Domini et a gloria virtutis eius

1:10 cum venerit glorificari in sanctis suis et admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt quia creditum est testimonium nostrum super vos in die illo

1:11 in quo etiam oramus semper pro vobis ut dignetur vos vocatione sua Deus et

impleat omnem voluntatem bonitatis et opus fidei in virtute
1:12 ut clarificetur nomen Domini nostri Iesu Christi in vobis et vos in illo secundum gratiam Dei nostri et Domini Iesu Christi.

2

2:1 rogamus autem vos fratres per adventum Domini nostri Iesu Christi et nostrae congregationis in ipsum
2:2 ut non cito moveamini a sensu neque terreamini neque per spiritum neque per sermonem neque per epistulam tamquam per nos quasi instet dies Domini
2:3 ne quis vos seducat ullo modo quoniam nisi venerit discessio primum et revelatus fuerit homo peccati filius perditionis
2:4 qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus aut quod colitur ita ut in templo Dei sedeat ostendens se quia sit Deus
2:5 non retinetis quod cum adhuc essem apud vos haec dicebam vobis
2:6 et nunc quid detineat scitis ut reveletur in suo tempore
2:7 nam mysterium iam operatur iniquitatis tantum ut qui tenet nunc donec de medio fiat
2:8 et tunc revelabitur ille iniquus quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui et destruet inlustratione adventus sui
2:9 eum cuius est adventus secundum operationem Satanae in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus
2:10 et in omni seductione iniquitatis his qui pereunt eo quod caritatem veritatis non receperunt ut salvi fierent
2:11 ideo mittit illis Deus operationem erroris ut credant mendacio

2:12 ut iudicentur omnes qui non
crediderunt veritati sed consenserunt
iniquitati
2:13 nos autem debemus gratias agere Deo
semper pro vobis fratres dilecti a Deo
quod elegerit nos Deus primitias in
salutem in sanctificatione Spiritus et
fide veritatis
2:14 ad quod et vocavit vos per evangelium
nostrum in adquisitionem gloriae
Domini nostri Iesu Christi
2:15 itaque fratres state et tenete traditiones
quas didicistis sive per sermonem sive
per epistulam nostram
2:16 ipse autem Dominus noster Iesus
Christus et Deus et Pater noster qui
dilexit nos et dedit consolationem
aeternam et spem bonam in gratia
2:17 exhortetur corda vestra et confirmet in
omni opere et sermone bono.

3

3:1 de cetero fratres orate pro nobis ut
sermo Domini currat et clarificetur
sicut et apud vos
3:2 et ut liberemur ab inportunis et malis
hominibus non enim omnium est fides
3:3 fidelis autem Dominus est qui
confirmabit vos et custodiet a malo
3:4 confidimus autem de vobis in Domino
quoniam quae praecipimus et facitis et
facietis
3:5 Dominus autem dirigat corda vestra in
caritate Dei et patientia Christi
3:6 denuntiamus autem vobis fratres in
nomine Domini nostri Iesu Christi ut
subtrahatis vos ab omni fratre
ambulante inordinate et non secundum
traditionem quam acceperunt a nobis
3:7 ipsi enim scitis quemadmodum
oporteat imitari nos quoniam non
inquieti fuimus inter vos
3:8 neque gratis panem manducavimus ab

aliquo sed in labore et fatigatione nocte et die operantes ne quem vestrum gravaremus
3:9 non quasi non habuerimus potestatem sed ut nosmet ipsos formam daremus vobis ad imitandum nos
3:10 nam et cum essemus apud vos hoc denuntiabamus vobis quoniam si quis non vult operari nec manducet
3:11 audimus enim inter vos quosdam ambulare inquiete nihil operantes sed curiose agentes
3:12 his autem qui eiusmodi sunt denuntiamus et obsecramus in Domino Iesu Christo ut cum silentio operantes suum panem manducent
3:13 vos autem fratres nolite deficere benefacientes
3:14 quod si quis non oboedit verbo nostro per epistulam hunc notate et non commisceamini cum illo ut confundatur
3:15 et nolite quasi inimicum existimare sed corripite ut fratrem
3:16 ipse autem Dominus pacis det vobis pacem sempiternam in omni loco Dominus cum omnibus vobis
3:17 salutatio mea manu Pauli quod est signum in omni epistula ita scribo
3:18 gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis amen.